



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quinam dicantur Arbitri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

§. I.

Qui dicantur Arbitri.

1. 2. Ratio ordinis & nominis.
3. Arbitri alii sunt juris, alii sponte adsumuntur.
4. Et horum alii sunt Arbitratores, alii Recepti seu compromissarii.
5. Differentia inter Arbitros & Iudices.

TRactatum fuit antea de officiis Judicum, tam ordinariorum, quam delegatorum, deque præparatoriis iudiciorum. Pergendum nunc est ad ipsa iudicia: verum quia & Arbitri sunt quodammodo Iudices, ad quos recurrere solent homines, priusquam ad iudicia perveniant, ut per eos controversiæ absque strepitu fari, & breviori tempore, si fieri possit, terminentur & sopiantur, atque hoc modo, impediatur litis ingressus, evitenturque iudiciorum moræ & sumptus, alique incommoda: ideo merito nec permittitur de Arbitris.

2. Dicitur Arbitrator ab Arbitrando, id est æstimando. Est enim Arbitrator vir bonus, ad aliquod negotium æstimandum & terminandum electus.

3. Arbitrium duplex est Necessarium, & Voluntarium. Solent enim Arbitri adsumi, vel ex necessitate iuris, aut statuti, vel sponte. Ex necessitate iuris, ut in causa suspecti Iudicis: in qua adsumuntur arbitri iuris, qui de causa suspicionis cognoscant, *c. Suspicionis sup. De officio delegati, l. Apertissimi & l. fin. & ibi Bart. & DD. Cod. De iudiciis*: sicut & quando statutum habet, quod causæ inter coniunctos compromittantur, Abbas in *c. Cum dilectus* 9. col. 7. h. 1. Item quando est questio de revocatione rescripti, *c. Pastoralis* 14. *sup. de rescriptis*; aliisque casibus à iure expressis. Et hi appellantur Arbitri iuris.

4. Rursus sponte dupliciter adsumuntur, nempe vel simpliciter & sine aliquo iudicii ordine, ut si in aliquem fiat compromissum, qui de re arbitretur & statuat, prout æquum sibi videbitur, sine aliquo iuris or-

dine. Et talis vulgo Arbitrator seu Amicabilis compositor vocari solet; cuiusque arbitrium semper referri debet ad arbitrium boni viri, *Societatem §. arbitratorum D. Pro socio*. Vel sic adsumuntur, ut de controvesia sibi commissa, servato juris ordine, pronuntient. Et hi proprie Arbitri dicuntur, & in *D. & Cod. vocantur Arbitri recepti*, quia ex recepto; id est, ex compromisso (ut interpretatur Justinianus in *l. Reman novam Cod. de iudiciis*) ad dirimendam controversiam eliguntur. Unde etiam Arbitri Compromissarii appellantur; & tales in dubio potius videntur electi, quam arbitratores. Deque horum arbitris dicitur, quod sint reata ad similitudinem iudiciorum, *l. D. eod.* nam citantur coram se partes: libellum petitionis sibi edicunt, testes examinant, & ut summam dicam, causam secundum iudicii ordinem per sententiam non secus quam Iudices terminant.

5. Licet non pari potestate, quia arbitratorum potestas est privata, & ab ipsis compromittentibus competit, quorum, ut privatorem, consensus iudicem facere non potest cum, qui nulli præest iudicio, *l. 3. Cod. De iurisdic. om. iudic.* Neque iurisdictionem habent, sed tantum cognitionem. At vero Iudicum potestas est publica & iurisdictionem habent, ac proinde possunt molare partem, eidemque ob contumaciam denegare audientiam, compellere testem, & falsa deponentem punire, quia id potest habere iurisdictionem. Magnam tamen affinitatem habent cum Iudicibus, maioremque cum delegatis, quam eum ordinariis, ut patet *d. l. Apertissimi & eod. ibi, quasi arbitri fuerint & c.*

§. II.

Quo pacto fiat compromissum.

1. Fit vel adiecta pœna.
2. Vel nulla pœna adiecta.
3. Ex sententia arbitri iure *D. & Cod.* quando dicitur actio.
4. Iure Canonico semper standum esse compromissum.

Compromissum vero in arbitros fit tribus potissimum modis, vel adiecta pœna, vel simpliciter non adiecta pœna, vel cum iurjurando. Et quidem primo fit pœnali stipulatione adiecta, ut saltem metu pœnæ stetur compromissum.